

**In solemni festo Michaeli Archangelo dicato, ad beatissimam Domini ...  
tranquillationem ... recolendam, omnes ... Reipublicae hujus literariae cives  
... invitat: simulque ad intermittendam plane infelicissimam illam in Civitate  
& Academia bombardarum explosionibus excitatam perturbationem ...  
studiosos ... hortatur / [Johann Ernst Schaper].**

### **Contributors**

Schaper, Johann Ernst, 1668-1721.

### **Publication/Creation**

Rostock : J. Weppling, [1705]

### **Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/cxsat9wy>

### **License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>



RECTOR  
ACADEMIÆ ROSTOCHIENSIS  
JOHANNES ERNESTUS  
SCHAPERUS,  
MEDICINÆ DOCTOR EJUSDEMq; PROF. ORD. FCTIS  
SUÆ SENIOR AC DECANUS ET SERENISSIMI ATq;  
POTENTISSIMI DUCIS MECKLENBURGICI  
REGENTIS ARCHIATER  
IN  
SOLEMNI FESTO  
MICHAELI  
ARCHANGELO  
DICATO,

AD  
ATISSIMAM DOMINI PER ARCHANGELUM ET SANCTOS  
ANGELOS IN ECCLESIA & ACADEMIA CONSTITUTAM TRAN-  
QUILLATIONEM, DEBITA CUM DEVOTIONE RECOLENDAM,  
*Omnes & singulos Reipublicæ hujus literariæ Cives amicè invitat:*  
Simulqve

AD  
*ermittendam: planè infelicissimam illam in Civitate & Academia  
Bombardarum explosionibus excitatam perturbationem  
Nobilissimos Dominos Studiosos*

SUO ET ACADEMICI CONCILII NOMINE  
Seriò hortatur.

ROSTOCHI, Typis JOH. WEPPLINGI, SER. PRINC. & ACAD. Typogr.





Vod solemnia inter Christianorum festa recurrit hodiè Festum Divi MICHAELIS Archangeli, non concionibus modo in Ecclesiâ & ritibus Ecclesiasticis peragimus, sed etiam publicis, uti vocant, intimationibus, ad Collegiorum tabulam affixis, in Academiâ percelebramus, nullum alium in finem, quàm ut inæstimabilia DEI beneficia, quæ per Angelos suos in nos confert, ceu sublimi loco posita, liquidius innotescant & illorum pia recordatio mentibus non planè stupidis aut profanis altius infixæ, justos ad pietatem stimulos post se relinquat. Eminent inter illa & summam reliquorum continet, officium illud præstantissimum S. Michaelis Archangeli & beatorum Angelorum, quò jussu Supremi Domini ejusque ductu Clementissimo, Ecclesias Christianorum & Academias perambulantes, omnia quæ turbidam in iis obtinent faciem, suavissimâ quadam ratione tranquilliant; id quod emphaticis descriptum verbis variisque doctrinis ac solatiis instructum reliquit nobis memor Domini nomine & omine Propheta ZACHARIAS Cap. I. 8. 9. 10. 11. *Vidi (inquit) per noctem & Ecce Vir equitans super equum rufum & ipse stans inter Myrteta quæ erant in profundo & post eum equi rufi, fulvi (resplendentes, orientis Solis colorem imitantes) & albi. Et dixi: (intellecturus Mysterium & quærens) Qui sunt illi Domine mi? Et dixit ad me Angelus loquens in me (Collocutor meus & Orator præsens ac futurus) Ego ostendam Tibi quinam illi ipsi. Et respondit (ex promisso dato) ille ipse Vir stans inter Myrteta (equo rufo insidens eoque loco manens) & dixit: Illi sunt quos misit Dominus ad ambulandum in terrâ. Et responderunt (Cœlestes illi Equites in rufis fulvis albis equis figurati, antecessori Equiti) Angelo Domini stanti inter Myrteta & dixerunt: (Imò nos) perambulavimus terram & ecce tota terra est sedata ac quieta (i. e. quietissima). Vir ille insidens equo rufo idemque opitulator stans inter Myrtos in voragine, seu Judæos in Babylone, CHRISTUS est, Vindex Sionis captivæ cruentus, excandescens in hostes Sionis & horum debellator, apparens in formâ Viri, agentis Ducem inter Archangelos atq; Angelos Supremum, in præludium certissimum naturæ humanæ in plenitudine temporis assumendæ, & in manifestissimum documentum subjectorum ipsi etiam secundum humanam naturam tam Archan-*



58700(52)



changelorum quàm Angelorum & Angelicorum exercituum (Ephes. I. 20. 1 Petr. III. 22.). Apparuit autem *insidens equo rufo*, tanquam Vir belli (Exod. XV. 3.) sive Bellator omnium potentissimus & paratissimus ad ineundam cum Satanâ pugnam & omnibus illius phalangibus atque infidelium Sociis longè difficillimam & ad obsignandam in fidelibus victoriam hostium illorum infensissimorum gloriosissimam (Esai. LXIII. 1. sq. Apocal. XIX. 11. sq.) Apparuit *stans inter Myrteta quæ erant in profundo*, ad insinuandum Ecclesiæ, quæ & odoris suavitate & fructuum utilitate & umbræ commoditate, Myrteto similis est, in profunditate cuiuscunque miseriæ præsentissimum auxilium & in profunditate hostilis invasionis præsidium præsidiorum omnium firmissimum. Apparuit denique in Comitatu *Equitum, partim ruforum, partim fulvorum, partim alborum*, ad designandos Archangelos, Angelos & Angelorum exercitus, qui parati sunt tum ad exercendam in Myrteto Ecclesiæ adversus hostes Ecclesiæ vindictam, rubeo & splendido colore repræsentatam, tum ad inferendam Ecclesiæ ab hostibus pressæ & ferè oppressæ pacem exoptatissimam & candidissimam lætitiâ, albedo illo colore delineatam: Exercitus item illos, ordine, robore, pugna & celeritate præpotentes, quos *emisit Dominus, ut perambulent terram omniaque* in eadem in omnibus statibus, repressis Satanæ molitionibus acturbis, *pacata reddant & tranquilla*. Quemadmodum enim Reges & Principes hinc inde dispositis equis Cursores suos emittunt, qui in res & statum subditorum aut vicinorum inquirunt & de iis rem referunt, ut sic consilia rectius disponere sibi & subditis consulere possint, turmas item Equitum bellicorum robustissimas, quæ per totum proficiscuntur Regnum per totum Ducatum & per omnes eorum provincias, ut latrocinia prohibeant tristissima & lætissima in abditis præstent incolumitatem; ita DEus quoque, licet omnia ei sint præsentia, Angelorum ministerio utitur, eosque ceu Ministros providentiæ suæ & tutelæ adhibet, ut maiestatem suam & gloriam omnino magis homines doceat, imbecillitati ac diffidentiae eorum per infinitis Angelorum Custodum Myriades succurrat, Ecclesiam suam & quæ in innexa, Academiam, à calamitosissimis infernalis exercitus latrocinii invictum in modum tueatur ac defendat, utramque verò ab omnibus periculis liberam & incolumitate omnigenâ felicem conservet.



Non licet in præfenti exquisitis illud ipsum comprobare documentis  
& in numerum redigere selectum ea, quæ sunt innumerabilia exem-  
pla eorum, qui Angelorum perambulantium & tranquillantium mini-  
sterio, tranquillitate cœlesti locupletati sunt vel eidem restituti; neque  
ad exemplum descendere Populi Israelitici, cuius à jugo Babylonico  
felicissimam liberationem & Hierosolymitanæ reedificationis tran-  
quillitatem locus noster Zacharianus in literâ promittit. Certè, qui  
diligentius scrutantur exactæ vitæ suæ cursum & attendunt, quomo-  
do nonnunquam ex intricatissimis periculis eluctati sint, quomodo  
præter opinionem evitârint Diabolorum laqueos & insidias, quomodo  
casus adversos atque subitos, qui certissimum vitæ exitium secum  
tracturi videbantur, insperatò ac præter omnem expectationem eva-  
serint; dubium non est, quin unusquisque eorum doctrinæ Zacha-  
rianæ veritatem propriâ experienciâ comprobata manu quasi ap-  
prehendat, Sed hoc quicquid est perambulationis & tranquillationis  
Angelicæ, non tribuamus nostræ dignitati, non ulli humano merito,  
sed inenarrabili illi Mysterio Mysteriorum & Miraculo Miraculorum  
omnium, incarnationi Filii Dei, Viri illius Myrtacei, ceu fructum læ-  
tissimum feramus acceptum, qui in terrâ quidem olim rufo insedit  
eqvo, justum prælium cum Diabolo omnibusque ejus Angelis & So-  
ciis decertaturus, sed albo in cœlis insidet eqvo, infinitâ cum gloriâ  
atque potentiâ in dexterâ DEI regnans & in æternum regnaturus:  
cujus ex mandato Archangeli æque ac Angeli boni ardentissimo desi-  
derio flagrant ac gestiunt, & Ecclesiæ Academiæque Domini publicam,  
& singulorum fidelium, docentium atque discipulorum privatam tran-  
quillitatem commodum & salutem procurare. Id quod elegantissimis  
hisce deprædicavit olim verbis, Augustum illud Patrum fulcrum, AU-  
GUSTINUS Lib. Soliloqu. c. XXVII. *Diligunt nos sanctissimi illi Spi-  
ritus concives suos, per quos ruinae suæ scissuras instaurari expectant:  
magnâ curâ & vigilantî studio adsunt nobis omnibus horis & locis suc-  
currunt & providentes necessitatibus nostris & solliciti discurrentes in-  
ter nos & Dominum nostrum: adsunt nobis vigilantibus & ambulanti-  
bus, Comites: laborantibus, Adjuvantes: dormientibus, Custodes: oran-  
sibus, Referentes: pœnitentibus Tripudiantes: gaudentibus, Congau-  
dentes: patientibus, Compatientes: pugnantibus Erigentes: & vincenti-  
bus,*



Agnoscamus igitur CIVES *Omnium*  
*Ordinum* HONORATISSIMI, devotissimâ cum humilitate, humilli-  
 nâq; cum devotione, Beneficium illud tranqvillationis Angelicæ longè  
 saluberrimum, & Domino Dominantium potestatum Clementissimo  
 & tranqvillantis Angelorum Exercitus Regi Supremo, gratias, quas  
 mortales possumus, agamus maximas, pro ministerio Angelorum in  
 promovendâ tam Ecclesiæ quàm Academiæ tranqvillitate multò præ-  
 stantissimo. Confugiamus ad Benignissimum pacis Ecclesiasticæ &  
 Academicæ Datorem, Statorem ac Vindicem, qui mortalibus nobis, An-  
 gelos immortales, nobis peccatoribus, sanctos vigiles, & terrenis no-  
 bis, cœlestes addere voluit Custodes, & si quæ vel in Ecclesiâ vel in  
 Academiâ conclamatissimis his temporibus exoriantur turbæ in do-  
 ctrinâ Evangelicâ periculosissimæ, quietisfluum eidem Ecclesiæ & Aca-  
 demiæ præsidium, Ducis Michaelis & reliquorum Angelorum Bono-  
 rum subsidio circumvallatum, religiosissimis commendemus precibus.  
 Probemus nos ita Angelorum Domino, probemus Angelis ipsis, ut  
 si quæ in Vita turbæ obveniant molestissimæ, ministerio fruamur præ-  
 sentissimo tranqvillantium vitæ custodum, qui turbulentas discuti-  
 ant molestias, vitam reddant undiquaque tranqvillam & vitæ officium  
 omnibus ex partibus tutum conservent. Addicamus consilia nostra  
 & opera, Auctori quietis nostræ Gloriosissimo & Ductori Sapienis-  
 simo, ut si quæ in fortunâ objiciantur nobis impetus adversæ fortunæ  
 impetuosisimi, promotores emittat quietis nostræ fortissimos, qui  
 felicissimè impetus illos disjiciant, omnes omninò fortunæ vices, si  
 non ad voluntatem, certè ad utilitatem & salutem nostram dirigant  
 Duce Ministro, Sancto Michaele, & Magistro, Salvatore Gratiissimo,  
 finemque iis imponant exoptatâ tranqvillitate beatissimum. Gaudea-  
 mus summoperè de inexpugnabili illo Angelorum Pacis vincen-  
 tium propugnaculo, firmemus illud sincerâ pietate & indefinente ob-  
 firmemus oratione, ut in pugnâ cum validissimo Duce Angelorum  
 omnia in Ecclesiâ & Academiâ turbantium, ipsoque omnia turbante  
 Angelico Exercitu, prævaleamus sanguine Agni, verbo testimonii  
 & amore victoriæ Christi æternæ, cum Michaele, Archangelo,  
 Angelorum pro Ecclesiæ & Academiæ tranqvillitate militantium  
 Duce potentissimo, & Angelis ipsis pro eadem militantibus, Epini-  
 cium



cium canāmus dulcissimum Principi victoriæ nostræ & pacis Supremo, CHRISTO, Domino nostro Invictissimo, atque sic gaudium excitemus in cœlo gaudiorum omnium optimum & sine dubio maximum.

Jam ultima Programmatis hujus solemnis mea verba ad Vos *Viri juvenes florentissimi, desideratissimi*, dirigo, & ad id me movet mala hætenus bombardas intrâ civitatem explodendi servata consuetudo. Nostis, CIVES OPTIMI, quoties explosionibus bombardarum temerariis in Academiâ & Civitate quies turbata sit, cum autem utrique Magistratui hic incumbat, ut pro Civium suorum salute vigilet, meritò Ego meo & totius Senatus Academici nomine Vos hodiè compello. Considerate quælo, quàm manifestissimos incendiariâ bombardarum explosione excitetis tranquillitatis obices. Dispicite probè quibus exponatis periculis animas vestras tranquillo studiorum genio dicatas, quàm dubiam & ægrorum & meticulorum reddatis salutem & quanta pericula Civitati huic optimæ, divino hucusque præsidio ab ulterioribus incendiis, explosionibus istiusmodi igneis facillimè excitandis, præservatæ, evenire qveant, à quibus omnibus eò magis omnes sumus securi, quò attentior Magistratus apprehendit omnem ejus removendi occasionem. Hanc ut ut jam toties & ante annum modo, publicum per promulgatum inhibitoriale remove intenti fuerimus, contra illud tamen variæ inanes adduci hætenus



nus voluerunt sub solemnitatis cujusdam titulo ena-  
tæ excusationes , quibus explodendi bombardas li-  
centia singularis servari debuit , eam autem Rector  
& Concilium ulterius tolerare non valet , ne à Su-  
periori ad reddendam de eâ rationem tandem ci-  
tati, post inductum damnum difficilem eam vel nullam  
non sine conscientiæ morfu habeamus. Hinc ea  
omni, quâ potest, solennitate, Vobis significo : Una-  
nimi Rev. Concilii suffragio omnem bombardarum  
explosionem in Civitate & propè ab eâ simpliciter  
in omni qualicunque casu severissime esse interdictam,  
omnesque illos & singulos ex ordine vestro , qui inpo-  
sterum Academiam & Civitatem periculosis illis bom-  
bardarum turbabunt explosionibus, siue solemnioris de  
aditu vel abitu Fautorum & Amicorum congratulatio-  
nis ergò, siue recreationis laxioris gratiâ institutis , ex-  
pectare debere pœnam relegationis publicæ paratissi-  
mam, ad quam duram ut ut inviti procedamus, tamen  
cogimur ob commissam aliarum pœnarum hactenus de-  
cretarum in hoc delicto negligentiam.

Adest nunc , CIVES HONORATISSIMI , adest in-  
quam tempus exercendi tranquillitatem , ad quam vocati  
sumus , jucundissimam & salutiferam : adest tempus  
seminandi, in quo disseminandæ sunt pro viribus à DEO  
concessis Virtutes Angelorum quietissimorum ornatissimæ,  
pura in DEUM religio , integritas vitæ sancta , seria animi  
pœnitentia , laus DEI operosa & quæ sunt reliquæ DEO  
nos gratos reddentes & Angelis similes. Aderit suo tem-  
pore



pore Messis desideratæ toties tranquillitatis sempiterna , quàm  
Pater nobis Cœlestis præparavit , Filius , JESUS CHRI-  
STUS , promeruit , Spiritus Sanctus signator obsignavit , per-  
ficienda in extremo die ministerio Archangeli Michaelis & San-  
ctorum Angelorum , in gloriam Nominis divini & Numinis  
in beatitudine æternâ beatissimam & filiorum DEI liberta-  
tem , turbis omnibus in omni æternitate absolutam. An-  
geli enim Portatores boni , qui portarunt nos , veræ tran-  
quillitatis studiosos , in hac vita in vias DEO gratissimas , por-  
tabunt nos sub finem vitæ nostræ , & sub consummationem  
Seculi colligent pios , in sinum Abrahamæ placidissimum , quo  
Angelis æquales , tranquillitatis omnigenæ inexhaustum fon-  
tem , perfectâ intuebimur notiâ , amore amabimus consum-  
matissimo & Angelico intermixti exercitui Angelicis celebra-  
bimus laudibus , habitantes in domiciliis pacis inurbatis , ha-  
bitaculis maximè securis & tranquillitate corporis & ani-  
mi , nullo unquam tempore , nullo impedi-  
mento interrumpendâ.

P.P. sub Rectoratus Academici  
Sigillo Die XXIX. Sept. An. Regnantis  
super Angelos tranquillantes Christi M. DCCV.

